GEBETBUCH DES JOHANN VON BUCCA, BISCHOF VON LEITOMISCHL

Prag und Konstanz, um 1390 und 1459

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31247
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

ita me Domine spes mea tu enim es fortitudo mea consolacio mea in die tribulacionis mee. Respice et inimicos meos et eripe me fugiant ante faciem tuam qui oderunt te et ego vivam in te. Propterea Ihesu domine consideraverunt me et videntes me sine te despexerunt me. Diviserunt sibi vestimenta mea virtutum quibus ornaveras me. Fecerunt sibi viam prope sub pedibus suis conculcaverunt me fecibus peccatorum polluerunt in me templum sanctum tuum posuerunt me desolatum et merore confectum. Ibam post eos cecus et nudus et illaqueatus funibus peccatorum. Trahebant me post se in cenum cenosum in luteum deluto in lutum et ibam absque formidine ante faciem subsequentis. Servus eram et servitutem amabam cecus eram et cecitatem desiderabam vinctus eram et vincula non horrebam. Amarum dulce dulce amarum credebam. Miser eram nec cognoscebam et hoc quia sine illo eram sine quo factum est nichil per quod omnia consistunt sine quo omnia annichillantur. Sicut enim omnia per ipsum facta sunt et sine ipso nichil sic per ipsum omnia conservantur quecumque sunt sive in celo sive in terra et in mari et in omnibus abissis nec posset punctum in lapide adherere nec in aliquo creaturarum nisi per verbum conservaretur per quod omnia sunt facta. Adhaeream tibi verbum ut conserves me quia ut a te recessi perii immo nisi quia tu qui feceras me refecisses me. Ego peccavi tu me visitasti ego cecidi tu me erexisti ego ignoravi tu me docuisti ego non vidi tu me illuminasti.

Cap. 7 De multiplicibus beneficiis Dei

Miser ego deus meus quantum teneor te diligere. Ostende michi quantum debeo laudare te demonstra michi quantum debeo placere tibi. Ignosce michi. Intona domine voce grandi et forti in interiorem hominem autem cordis mei. Doce me et salva me et